sumus sacristiam fratrum et inde tulimus linteamen latum, quod eportavimus ad locum migrationis beatae Virginis. De quo loco habes folio 105. B. Hoc linteamen super illum locum extendimus in modum tentorii sustentaculis et funibus, et tapecias loco parietum circumduximus et capellam pulchram fecimus. Altare autem, quod in loco est, vestivimus pretiosis et ornavimus depictis tabulis et imaginibus (248 A) et monstrantiis et candelabris cum cereis positis. Attulimus etiam ramos frondium de olivis et palmis, et gramina ac flores sparsimus et ornatum lucum divinum fecimus. Cum autem vespera adesset, induit se pater Gardianus cappa pretiosa, et cantores, cruciferarius, thuribularius et acoluthi sacris induti stabant in ecclesia fratrum, et paratis omnibus cum solemni apparatu ordinata processione transivimus de ecclesia Syon ad locum migrationis beatae Virginis cum cantu: Et ibo mihi ad montem myrrhae etc. Quo finito in capella, quam feceramus, cantavimus vesperas et completorium de festo altis vocibus, nec aliquod impedimentum Sarracenorum passi sumus, sed audientes clamores nostros accurrebant et stabant cum suspenso ore. Interea confluebat multitudo Christianorum orientalium, qui statim nostro Officio finito ingressi sunt cum suis sacerdotibus capellam et sua Officia perficere inchoabant et Missas eodem sero celebrabant juxta suum ritum. Nos vero Conventum ingressi sobriam, ut jejunantes decet, collationem fecimus. Post collationem descendimus simul de monte Syon in vallem Josaphat ad ecclesiam sepulchri beatae Virginis et onustum asinum nobiscum duximus, cui imposuimus ornamenta et paramenta pro loco decorando et pro Officiis celebrandis. Cumque in ecclesiam descendissemus, invenimus eam repletam orientalibus Christianis, viris et foeminis; reduximus ergo nos in angulum nostrum ad altare Latinorum, et inde aliis Christianis, qui locum praeoccupaverant, detrusis, lumina accendimus. Non enim habet locus ille de coelo lumen, sed de igne incenso. Locum ergo nostrum circumdedimus tapeciis et altare ornavimus et multas candelas accendimus, et cum solenni cantu completorium cantavimus. Ad Salve Regina vero de loco nostro processimus cum ornata processione et per sepulchrum beatissimae Virginis Mariae

Ende

Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;